

DE PERSONALISMO IN IURE MATRIMONIALI NOVI CODICIS

SUMMARIUM: Personalismi complexus conceptus. In Codice Pio-Benedictino naturalismum signat c. 1013, cui connectitur c. 1081 § 2. Concilium Vaticanum II verum personalismum amplectitur. Obiectivus ordo ad personas ordinatur. Aliquae consequentiae. Novus Codex personalismum affirmat. Considerantur in particulari nonnulli canones.

Cum de meritissimo erga magistrum et praesertim erga amicum obsequio agatur, ob perenne argumenti momentum et ob eius continuum ac profundum a tanto magistro cultum, aspectus aliquos circa Matrimonium elegi pertractandos. Multas dubitationes in determinando argumento passus sum, cum ex alia parte omnem controversiam vitare voluerim, ex alia autem temporis spatiique angustiae historicam alicuius fundamentalis aspectus tractationem non permitterent. In fine, propter eius momentum et propter propriam cum eo personalem congruentiam et concordiam Iuridicum Personalismum sumpsī. Huius electionis positivae rationes? Convictio magis ac magis in dies obtenta de eius in Iure, in matrimoniali praesertim, fundamentali momento, cum revera Personalismus sit veluti clavis et criterium ad recte intelligendum et interpretandum in canonico systemate matrimonium. Huius convictionis rationes? Propria Iuris Canonici theologica ac philosophico-anthropologica natura¹. Si enim non de positiva lege,

¹ L. VELA, *El derecho canónico como disciplina teológica*, in *Gregorianum* 50/3-4 (1.969) 719-757.

sed de legis iure agatur, Ius, quia iustum et non quia iussum, sine hominis persona ac personalitate nec dari nec intelligi potest. Si Personalismus plene percipiat, omnes vitae iuridicae antimoniae solvuntur. Et sic tantum². Personalismus enim unica via est Subiectivum inter (Individualismus, Liberalismus, Anarchismus...) et crudum obiectivum (Positivismus, Legalismus, Totalitarismus...). Conscientiam mere subiectivam inter et positivam legem hominis personalis natura stat. Neque subiecti neque obiecti praestantia dari debet, sed personae inter personas («hominis ad hominem proportio»)³.

PERSONALISMUS

Personalismus hic minime ut aliquod systema clausum sumitur. Ne quidem de aliqua AA. particularium doctrina vel de aliqua philosophica schola agitur. Sub hoc respectu, etsi plures AA. Personalismo adnumerari possunt, unus et prorsus homogeneous Personalismus non datur, sed potius de diversis Personalismi speciebus loqui oportet. Personalismus certe «ideologias» non amat, quia essentialiter est «anti-ideologia». Personalismus tamen non est aliqua anti-thesis, sed essentialiter est synthesis, quae certo certius cum iuridico Positivismo componi non potest. Personalismus, in primis, est aliqua radicalis totius humanitatis intuitio. Est aliqua homini connaturalis inventio. Hoc

² L. VELA, *Antinomias de la vida humana*, in *Sal Terrae* 59 (1.971) 819-832; *Sal Terrae* 60 (1.972) 17-30; *Las paradojas del poder*, in *Sal Terrae* 60 (1.972) 362-375.

³ DANTE, *Monarchia*, L.I, C, XI, 7, Romae 1.963.

in sensu Personalismus cum veri Iuris Naturalis inventione convenit. Hac de causa Personalismus est unicus totalis Humanismus et quidem obiective et radicitus christianus. Iuridicus Personalismus humanam personam, Deo et Christo religatam, esse Iuris substantiam et rationem, subiectum et finem tenet. De persona cum eius essentiali ad comunione et communitatem vocatione, non de individuo, Personalismus agit. Sub hoc respectu, et ut aliqua concreta exempla apponam, optima iuridici Personalismi expositio apud clarum Guido Gonella⁴, etiamque, si recte intelligatur, apud clarissimum Giorgio Del Vecchio⁵ invenitur.

Cum Personalismo, partim saltem, sic dictus «Christianus Existentialismus» recte connectitur⁶, etiamque illa a pluribus, vgr. a Schöllgen culta, quae «Theologia vel Philosophia concreta» nuncupatur⁷.

Verum Personalismum Concilium Vaticanum II sapit, quod non est mirandum cum ipsa divina Revelatio Personalis sit et cum Christus ipse maximus omnium Personalista sit: «Ego sum Lux, Iter, Veritas». In Conc. Vaticano II, meminisse forse oportet, S. Augustinus est auctor magis citatus et quidem ita, ut de eo citationes fere duplicent, quas de altero magis citato, Sto. Thoma scilicet, fiunt. Nullum Concilii documentum ac praesertim Constitutionem Lu-

⁴ G. GONELLA, *La persona nella Filosofia del diritto*, Milano 1959.

⁵ M.J. MORENO CUÑAT, *La filosofía jurídica en la obra de Giorgio Del Vecchio*, Cáceres 1.989; L. VELA, *El Derecho Natural en Giorgio Del Vecchio*, Madrid 1.965.

⁶ I. LEPP, *Filosofía cristiana de la existencia*, Buenos Aires 1.963.

⁷ W. SCHÖLLGEN, *Problemas morales de nuestro tiempo*, Barcelona 1.962; *Ética concreta*, Barcelona 1.964.

men Gentium, Verbum Dei et Gaudium et Spes et Declaratio Dignitatis humanae recte intelligi possunt, nisi recursus ad verum Personalismum fiat.

CODEx PIO-BENECTINUS

Inde ab initio et maxima sinceritate fateor me umquam Codicis 1.917 matrimoniale systema apte explicare potuisse nisi ad Personalismum recurrerem. Systema est vere laude dignum, sed Naturalismum sapit. Ad Personalismum recursus, valde opportunus, quin immo, omnino necessarius videbatur, si aliqua coherentia cum iam tunc vigenti Philosophia, Theologia et integrali Anthropologia quaerebatur. Talem cohaerentiam iam ante Concilium et praesertim post Concilium omnes personalistae desiderabamus. Omnes et quidem multi. Herbert Doms praedecessores, et ipse praecipue Doms res alio et, ut videtur altiori modo considerabant. Doctrinae sic dictae «traditionalis» defensio aliquorum AA profunda, sed potius insufficiens apologetica apparet. Subtilis ac sincera cum Doms controversia a Boigelot⁸, Boissard⁹ et Lanza¹⁰ habita, praecipue thomisticae doctrinae defensio fuit. Ipsum Sancti Officii Decretum¹¹, etsi in eo Doms expresse non citatur, veluti ultima publica doctrinae «communis» defensio fuit. Nescio qualis huius vocis «communis» realis extensio sit, cum vgr.

⁸ R. BOIGELOT, *Du sens et de la fin du mariage*, in *Nouv. Rev. theol.* 66 (1.939) 5-33; *Nouv. Rev. theol.* 66 (1.939) 539-550.

⁹ E. BOISSARD, *Quaestiones theologiquae sur le mariage*, Paris 1.948.

¹⁰ A. LANZA, *De fine primario matrimonii*, in *Apollinaris* 13 (1.940) 57-83; *Apollinaris* 14 (1.941) 12-39.

¹¹ Decretum S. Officii 1 aprilis 1.944: AAS (20 aprilis 1.944).

nec Hugo a Sto. Victore¹², nec S. Bonaventura¹³ nec S. Alphonsus M. de Liguori¹⁴ nec, inter ipisius Doms proximos praedecesores, Probst¹⁵, Linsenmann¹⁶, Koch¹⁷, Brugi¹⁸, Miceli¹⁹, Viglino²⁰, Eberts²¹, Cornaggia Medici²², Schwendiger²³ et ipse Dietrich von Hildebrand²⁴, auctor merito laudatus ut tutus ac fidelis ut ipsius fantores numerari possint.

Non est cur in Codicis 1.917 analysi immoremur

¹² HUGO A STO. VITORE, *De sacramentis christianae fidei*, II, XI, 3.

¹³ S. BONAVENTURA, *Opera omnia*, Lib. IV Sent., dist. 26, art. 2, 93, Quaracchi 1.882.

¹⁴ S. ALPHONSUS, *Opera omnia. Theologia Moralis*, t. IV, Romae 1.912; cfr. etiam L. VELA, *La doctrina de S. Alfonso M. de Ligorio*, in *Sal Terrae* 8-9 (1.973) 599-622.

¹⁵ F. PROBST, *Die katholische Moraltheologie*, Leipiz 1.850.

¹⁶ F.X. LINSENMANN, *Lehrbuch der Moraltheologie*, Friburgi Brisg., 1.878.

¹⁷ A. KOCH, *Lehrbuch der Moraltheologie*, Friburgi Brisg., 1.905.

¹⁸ B. BRUGI, *L'articolo 107 del Codice Civile Italiano e lo scopo del matrimonio*, in *Riv. Intern. di Filosofia del Diritto* 5 (1.925) 113 s.

¹⁹ V. MICELI, *Ancora sull'art. 107 del Codice Civile e lo scopo del matrimonio*, in *Riv. Intern. di Filosofia del Diritto* 6 (1.926) 286 s.

²⁰ C. VIGLINO, *Ultime sentenze della S.R. Rota*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 37 (1.936); *Fondamento dell'indissolubilità del Matrimonio e il valore morale dell'unione sessuale*, in *Il Diritto Ecclesiastico* 39 (1.928).

²¹ O. OBERTZ, *Vom Anfang und Niedergang des Männlichen Weltalters*, Friburgi 1.929.

²² L. CORNAGGIA MEDICI, *L'impotenza a generare si può proporre come causa di annullamento del Matrimonio?* in *Il Diritto Ecclesiastico* 42 (1.931).

²³ P.F. SCHWENDIGER, *Theologie und Glaube*, Dilingae 1.933.

²⁴ DIETRICH VON HILDEBRAND, *Die Ehe*, Friburgi 1.929.

ad hoc ut eius «Naturalismus» clare appareat. Sufficiant ergo aliquae adnotationes.

In can. 1.013,1 fundamentalis Naturalismus relucet. In eo divina verba «Crescite et multiplicamini» audiri videntur ac si de vero mandato ageretur et divina omnipotentia omnis et singuli matrimonii fecunditatem possibilem fecisset, quod tamen non fecit. Nec longior actuum intimorum pars est fecunda, cum ordinarie procreativi non sint, dum tamen semper sunt unitivi et coniugum perfectivi. Neque Ecclesia sterilium ac seniorum matrimonia prohibuit. Illa autem subtilis naturae actionem inter et personae distinctio modo satis miro intelligi videbatur, si revera naturam a persona quodammodo seiungeret. In ipso hoc canone humana species, non autem persona considerari videbatur. Ordo mere obiectivus, qui sine ad personam relatione, ut normativus habetur, consideratur. Ius Naturale, ut videtur, de natura, non de persona, praedicatur. Ius tamen, stricto sensu, de sola persona inter personas praedicatur. Rationalis natura, cum plene evoluitur, persona fit, sed quia iam inde ab initio personalis erat. Persona enim est talis evolutionis subiectum, nisi in crudum et philosophice falsum evolutionismum incidatur. Ius praecipue in intersubiectivitate vel in obiectiva personali alteritate consistit. Ius essentialiter obiectiva interpersonalis relatio est. Ius primo de humana actione praedicatur. Actiones quidem obiectum habent, sed ut ethico-iuridicae constituuntur, non ex eo quod «ab obiecto specificentur» nam obiecta ethico-iuridica esse non possunt, sed ex actionis relatione cum norma, quae ultimatim est Lex aeterna, sed ut lex divina, ut lex Dei, ut trium Personarum lex. Lex sine ulla possibili arbitrarietate, sed lex absolute et infinite libera, «ratio et voluntas», cuius participatio in humana creatura, naturalis lex

est, ut optime S. Augustinus tenet²⁵. Sic tantum Intellectualismus et Voluntarismus superantur. Lex Naturalis Moralem et Ius simul amplectitur. Proinde Naturale Ius Moralem et Ius amplectitur²⁶. Naturale Ius variabile argumentum habet²⁷. Naturale Ius est historicum²⁸. Ipsa humana natura mutabilis est²⁹.

Si iuridicus ordo a personalibus subiectis seiunctus consideratur, erronea dicenda erit simplificatio. Talis ordo nec est ordo, nec iuridicus, sed aliqua obiectiva praeordinatio ad subiectum, qui veri ordinis est Dei coadiutor. Rerum natura, sed non modo aristotelico concepta, absque dubio fundamentum iuridicitati praebet³⁰, non tamen cum ulla quacumque dupleis in homine naturae conceptione³¹. Aristotelica-thomista anthropologia eiusque consectanea causa forse praecipua Naturalismi Codicis 1.917 fuerunt. Sexualitas ut quid cum animalibus commune concipitur, dum e contra, humana sexualitas est ab animali specificè distincta, cum aliquis amoris ordo inde ab

²⁵ S. AUGUSTINUS, *Contra Faustum manicheum* lib. XXII, cap. 27.

²⁶ V. GIORGIANNI, *Il concetto del Diritto e dello Stato in S. Agostino*, Roma-Padova, 1951.

²⁷ S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio libri tres*, lib. I, cap. 6, n. 15.

²⁸ E. GALÀN Y GUTIÉRREZ, *Ius Naturae, una introducción al estudio del Derecho Natural*, Madrid 1.954.

²⁹ S. AUGUSTINUS, *Confessionum libri tredecim*, lib. X, cap. 17, n. 26; *De vera religione*, cap. 39, n. 72; Cfr. etiam L. VELA, *Existencialismo jurídico de S. Agustín*, in *Estudios Eclesiásticos* 163 (1.967) 481-507.

³⁰ H. HENKEL, *Introducción a la Filosofía del Derecho*, Madrid 1.968.

³¹ J. GIBLET, *En las fuentes de la Moral Conyugal*, Bilbao 1.979.

initio sit et interpersonalis relatio ac maximae alteritatis forma, personarum perfectiva³².

Propria immanens simul et transcendens sexualitatis finalitas constitutive unitiva, coniugalis est, interpersonale munus, verum ius petendi. Procreativa functio subiective secundaria est, in quantum non semper datur, et in quantum non est prima coniugum, uti coniuges, intentio. Procreativa functio obiective et subiective unitivae functionis pars et effectus, nec ita tamen, ut coniugibus arbitrario modo agere liceat. In unitiva interpersonalis matrimonii natura optime unitatis et indissolubilitatis fundamentum invenitur, dum non ita faciliter in «fine primario» tale fundamentum, uti S. Thomas tenet, inveniri potest.

In Codicis 1.917 canonibus de matrimonio consideratio de persona vix reperitur.

In logica cum can. 1.013,1 Naturalismo connexionem, can. 1.081,2 matrimonialem consensum ut «iuris in corpus traditio et acceptatio» statuit. Anthropologica conceptio dualismo affecta, hodie obsoleta dicenda est, nec accipienda nobis offerebatur. Dualismus non admittendus apparet. Persona, uti optime Marcel dicit³³ pecuniam vel domum aut vestes habet, sed non corpus. Persona est corpus, etsi quidem in corporalitate non exhauriatur. Huius crassi Naturalismi consectoria plura eaque gravia non semper vitabantur. Sic, consideratio matrimonii ut mera sexualis servitii praestatio, ullo sine amore, immo cum odio, «coniuges» vir et mulier fieri poterant, (nec ulla tunc habebatur consideratio prolis eiusque educationis!) Effere-

³² G. SCHERER, *Nueva comprensión de la sexualidad*, Salamanca 1.968; J. MARIAS, *Antropología Metafísica*, Madrid 1.970.

³³ G. MARCEL, *Être et avoir*, Paris 1.935.

batur facilitas matrimonii «naturalis» pro omnibus, nec attendi videbatur quod hoc ipsum esset sacramentum, signum unionis Christum inter et Ecclesiam.

Concilium Vaticanum II

Naturalismus, Deo gratias, relinquitur et verus Personalismus amplectitur³⁴. Doctrinae matrimonialis sensum, novitatem et extensionem in Concilio ac praesertim in Const. Gaudium et Spes, optime clarus Navarrete profert³⁵. Hac de causa non est cur nimis in hoc immoremur. Aliquid tamen et quidem sine ullo belligeranti animo dicam, tatum in quantum aliquod fundamentale Personalismi argumentum constituit. De coniugalis amoris iuridicitate agitur. In citato opere haec quaestio expresse pertractatur. Plures alii, inter quos ego ipse, hanc quaestionem agitarunt³⁶. Nullum ergo argumentum est repetendum.

Ius et Amor multo magis proximiores et affines realitates sunt, quam a pluribus cogitatur. Ius enim est «valoris» (Wert) exigentia, et Amor prima radix et principium «valoris» et «valorationum» (Wertung) in campo religioso, morali et iuridico est. Amor est valoris erga alteros et in alteris reverentia et observantia. Utraque realitas, Ius et Amor, ontologica et axiologica entia sunt. Ius positivum seu lex ad aspectus magis impersonales generatim refertur, sed Ius et

³⁴ L. VELA, *Filosofía y Teología subyacentes en el nuevo Código*, in *Estudios Eclesiásticos* 58 (1.983) 115-135.

³⁵ U. NAVARRETE, *Structura iuridica secundum Concilium Vaticanum II*, Romae 1.969.

³⁶ L. VELA, *Amor et iustitia in matrimonio*, in *Periodica de re mor. can. lit.* 69 (1.980) 481-502.

Amor ad personam eiusque continuam perfectionem essentialiter respiciunt³⁷. Elementa impersonalia, quae aliquo modo obiectiva etiam vocari possunt, illum mundum sic dictum obiectivum constituunt, qui revera verum integrale corpus sociale humanum conformat³⁸ et qui ultimatim aliqua «spiritus obiectivatio» est³⁹. Matrimonium primario modo non est positiva realitas, quae ad positivam iuridicitatem pertinet, sed religiosa et ethica realitas, in quantum Ethica Iuridicitatis et Moralitatis synthesis est⁴⁰. Nunc autem essentialis Iuris Matrimonialis Moralitas sine Amore dari non potest. Iuridicae obligationes, quia in Iure Canonico simul religiosae et morales sunt, sine Amore adimpleri non possunt. Daturne tunc verus matrimonialis consensus, si eius essentialis obligationes adimpleri non possunt? Potestne quis sese obligare ad id quod adimplere non valet?⁴¹.

Obiectivus ordo ad personam ordinatur et a persona inter personas iuridicum sensum accipit. Hic obiectivus ordo illud est communicationis medium⁴²,

³⁷ M. BUBER, *¿Qué es el hombre?*, México 1.964; V.E. FRANKL, *Psicoanálisis y Existencialismo*, México 1.952; P. LAÍN ENTRALGO, *Teoría y realidad del otro*, 2t. Madrid 1.961.

³⁸ G. AMBROSETTI, *Razionalità e storicità del diritto*, Milano 1.953.

³⁹ G.W.F. HEGEL, *Encyklopädie der philosophischen Wissenschaften im Grundrisse*, Heidelberg 1.817.

⁴⁰ G.W.F. HEGEL, *Grundlinien der Philosophie des Rechts oder Naturrecht und Staats Wissenschaft im Grundrisse*, Berlin 1.921.

⁴¹ E. GRAZIANI, *Volontà attuale e volontà precettiva nel negozio matrimoniale canonico*, Milano 1.956.

⁴² X. TILLIETTE, *Le corps et le temps dans la Phénoménologie de la Perception*, in *Studia Philosophica* 24 (1.964) 193-209.

quo mediante, amor, iustitiae radix⁴³ personas erga alias personas translucidas facit. Ita sese mutuo personae ab invicem cognoscuntur. Haec est vera amabilis ac delectabilis cognitio, quae concretam ad matrimonium vocationem et consequentem decisionem radicitus explicat, quae viri ac mulieris complementariam naturam manifestat et unica quae vere iuridica dici potest. Rigidi Intellectualismi error est in ignorantia primarii muneris amoris et affectivitatis in omni intersubjectiva cognitione. Sic intellectualismus illud non sine profunda explicatione verum effatum «Nihil volitum, quin praecognitum», explicare non potest, vel non recte explicat. Nisi enim ante executivam et negotialem voluntatem affectivus et aestimativus amor detur, verum «quin praecognitum» non datur. Generales et obiectivi conceptus intellectus ope efformari possunt, sed Idease, ipsorum conceptuum lux et radicalis possibilitas, non ita, quia prima et fundamentalis idea, uti optime Plato⁴⁴, Bonum est. Vir et mulier amores bene matrimonii structuram et systema legale cognoscere possunt, sed talis cognitio ad nihil omnino in ordine ad matrimonium contrahendum inservit, nam sunt radicitus incapaces, quia Boni idea non illuminati coniuges esse non possunt, nam incapaces cum sint amoris, ideo sese mutuo uti personas cognoscere et recognoscere non possunt. Illa biblica locutio «vir cognovit uxorem suam» in anthropologiae hebraicae sensu aristotelicum systema explicare non valet. Nec umquam aristotelicus seu Naturalismo imbutus explicare poterit, cur Pharaon res non

⁴³ R.M. PIZZORNI, *Giustizia e carità*, Roma 1.969.

⁴⁴ PLATO, *Politeia*, lib. VII; Fedri 79 d. *Platonis opera*, 5 v, Oxford 1.962.

intelligebat, quia «induratum erat cor eius»; nec cur S. Joannes asserat «qui non diligit, non potest cognoscere Deum, quia Deus caritas est» etc.

Vera corporis iuridici et legalis significatio a persona pendet, personalis autem ethico-iuridica natura Boni et Amoris primatum exigit. Bonum autem et Amor illam in Personalismo fundamentalem «voluntatem volentem» includit et amplectitur. «Voluntas volens» est voluntas dilecta et quae diligit; est voluntas ut sui ipsius recta dilectio, ut autoacceptatio et ut fides in vitam et erga personas. «Voluntas volens» est benevolentia erga seipsum et erga alios, in quantum qui seipsum recte non diligit, nec ipsum Deum diligere potest. «Voluntas volens» est relationis interpersonalis dilectio, sine qua iuridica relatio dari non potest. «Voluntas volens» est propriae et aliorum «autonomiae» dilectio in relatione, quae veram «heteronomiam» gignit. «Voluntas volens» est propriae et aliorum libertatis dilectio in illa infinita et absoluta Dei libertate, quae libertates in relatione fundat. «Voluntas volens» est semper primus implicitus consensus; est verae fidei et fidelitatis radix. Credenti et volenti positivae normae quodammodo redundant, quia «plenitudo legis est dilectio»; non libere credenti ex amore et cum amoris voluntate etiam positivae leges redundant, quia eas adimplere non valet; non valet, quia non vult; non vult, quia non diligit.

Bene S. Augustini de relatione in SS. Trinitate theologiam novimus. Analogo modo uterque coniux alterius absoluti characteris conscius fit in relatione. Hic est verus interpersonalis relationis sensus. Interpersonalis relatio (iustitia ut bene distributus amor) veram aequalitatem gignit. Verus interpersonalis consensus perfecta reciprocitas est, amoris relatio. Interpersonalis relatio differentias in aliquid commune

convertit et intimam coniugum communionem inspirat et causat. Ipsius iustitiae vis ac dinamica perfectio est Amor. Matrimonialis relatio intimae amicitiae et familiaritatis functio est ac munus. Bene ita Iuris Canonici philosophica ac theologica natura explicatur; bene ita matrimonii essentialium proprietatum ontologicum fundamentum invenitur; bene ita concreta vitae matrimonialis experientia elucet; bene ita ius inter et positivam legem differentia splendet; et bene ita, denique, ea quae in Conc. Vaticano II de coniugali amore dicuntur, profunde intelliguntur.

Iustitia personas in alteritate vinculat. Formalis et legalis alteritas autosufficiens non est, et in matrimonio, a proprio inspirationis fonte seiuncta, destruitur: «Summum ius, summa iniuria».

Ius moralis potestas est, ethica vis. Ius quia iustum, quia iustitia ad aeternam Amoris ideam appropinquari debet. Ius munus est et officium. Sicuti intellectus rationis sermo est, sic et Amor iustitiae. Personalis Amor minime est aliqua passio intellectui contraria et opposita, sed intellectus et rationis cor. Amor est primum et ultimum rationis votum, quod vinculare sine crassa identificatione intendit, quod unionem sine disparitatum abolitione intendit. Hac de causa Amor est supremum intelligibile, quia tantum Amor capax est intimam unionem et naturalem diversitatem coniugendi. Amor est suiipsius et aliorum inventio in aliquo primo immanenti et simul transcendentali fundamento, in quo simultanea vinculatio et differentia dantur. Amor unitatis et pluralitatis relationem statuit. Amor est relationis perfectio ac simul omnis interpersonalis relationis principium. Ipsum Ego, Tu et Nos praecedenti amore ethice et iuridice constituuntur. Amor ergo est profundissimae unitatis rationis Ratio. Amoris mysterium esse et entia expli-

cat. Nullum ens, nulla creata vis, ergo neque Ius neque Iustitia amorem producere potest. Amor est donum, bona libertas. Amor omnia bona et bene vera, etiam Ius et Iustitiam causat.

Aliquae consequentiae

Ecclesiae Catholicae doctrina prout in Conc. Vaticano II offertur, a Iuris Canonici cultoribus, continuam et profundam mentis renovationem exigit ad hoc ut omnis legalismus et positivismus vitetur. Ubi positivum ius divino iuri positivo et naturali non aperitur, ibi ipsum positivum ius suffocatur et christi-fideles suffocat. Tunc ius non ut gratia et Spiritus Sancti iter apparet, sed ut aliqua a Christo damnata et ab Apostolo proclamata, gratiae suppletio. Hic minime Novae Legis spiritus est, qui spiritus, uti optime Papa Joannes Paulus II dicit⁴⁵ ipsius Iuris Canonici spiritus est ac semper esse debet. Hic autem spiritus sine Amore ne quidem concipi potest. Hic essentialis spiritus a Spiritu Sancto continua insufflatio illam specificam differentiam Legem Civilem inter et Canonicam constituit. Ius civile positivum et canonicum modo analogo ponuntur. Analogia Ius inter et Ius, essentialem iuridicitatem et essentialem iuridicitatem philosophice est quid impossibile, immo et absurdum. Sub aspectu metaphysico iuridicitatis essentialis conceptus necessario univocus est⁴⁶. Haec est, meo iudicio, causa aliquarum interpretationum, quae philosophice sustineri non possunt.

⁴⁵ *Constitutio Sacrae disciplinae leges*, in AAS 75 (1983) pars II, VII-XIV.

⁴⁶ L. VELA, *De conceptu specifico legis ecclesiasticae*, in *Periodica de re mor. can. lit.* 66 (1.977) 521-533.

Essentialis characteris philosophici ac theologici Iuris Canonici naturae oblivio causa est cur Conc. Vaticanum II, verus Iuris Canonici fons, non plane sumatur. Magis pluribus affirmatio placet Concilii doctrinam «pastoralem» esse, non iuridicam. Pro iis aqua, non autem fons, sufficit. Normarum ac iurium adimpletionem sincere expostulant, sed de spiritu et sensu, de interna ac necessaria ad obligationes servandas vi obliviscuntur. Talis vis non iuridica consideratur, et tamen sincere de Iure Sacro loquuntur. His in omnibus, ut puto, rigidi Positivismi praesentia adhuc datur.

Novus Codex

In Codice 1.983 clara et longe exspectata Personalismi affirmatio datur. Hic clarus ex iam superato Naturalismo ad perennem Personalismum transitus, inter maxima novi Codicis merita est adnumerandus⁴⁷. Praecipuos Iuris Matrimonialis seligam canones ad hoc demonstrandum.

Can. 1055

Post duo Schemata⁴⁸ prima canonis paragraphus aliquos magni momenti personalisticos conceptus habet.

Quoad vocabulum «foedus» idem hic sonat ac consensus⁴⁹. Negari tamen non potest biblicum «foe-

⁴⁷ L. VELA, *Filosofía y Teología subyacentes en el nuevo Código*, in *Estudios Eclesiásticos* 58 (1.983) 115-135.

⁴⁸ Pontificia Commissio Iuri Canonico recognoscendo, in *Communicationes* 9 (1.977) 122-123; PCICR, *Communicationes* 10 (1.978) 123-126.

⁴⁹ Const. *Gaudium et Spes* 48.

«diatheke») salutem, etiam adhuc non plenam, esse et ita alteram canonis paragraphum profundius explicari. In Codice enim⁵⁰ Novi Testamenti sacramenta sunt actiones Christi et Ecclesiae signa ac media quibus fides roboratur... Sacramenta («cetera enim sacramenta») cum sanctissima Eucharistia (Foedus) cohaerent et ad eam ordinantur⁵¹. His prae oculis habitis, aliqua logica ratio vocis «foedus» pro «consensus» inveniatur oportet, nam nuda mutationis voluntas vel nudum factum rem serio non explicat.

«Foedus» in Conc. Vaticano II ac semper in stricto biblico et theologico sensu pluries apparet⁵². Estne haec «foedus» significatio nostro in casu excludenda? Inter baptizatos consensus ipse ac proinde contractus verum «foedus» et quidem sacramentale est⁵³. Nunc autem «foedus» essentialiter aliqua interpersonalis actio est⁵⁴. In omni profunda lectione haec omnia consideranda sunt, nisi divortium Ius Canonicum inter et Theologiam celeriter promoveamus.

«Consortium»

Huius vocabuli «consortium» introductionis significatio est «tamquam expressionem adspectus per-

⁵⁰ IC, canon 840.

⁵¹ CIC, canon 897.

⁵² Const. *Lumen Gentium*, 2, 9; Const. *Dei Verbum*, 4, 14, 15, 16; Const. *Gaudium et Spes*, 32; Const. *Sacrosanctum Concilium*, 10; Declar. *Nostra aetate*, 4.

⁵³ P. ADNÉS, *El Matrimonio*, Barcelona 1.958; E. SCHILLEBEECKX, *Le Mariage*, t. I, Paris 1.966.

⁵⁴ J. BAUER, *Diccionario de Teología Bíblica*, Barcelona 1.967; R. SCHNACKENBURG, *Reino y Reinado de Dios*, Madrid 1.967; B. SCHÜLLER, *Die Herrschaft Christi und das weltliche Recht*, Roma 1.963.

sonalis matrimonii»⁵⁵. Rationem aliam praebet «coetus», vitandi nempe «expressiones quae ansam praebere possint falsis interpretationibus in iurisprudentia»⁵⁶. Iurisprudentia tamen S.R.R. sat ampla huius «totius vitae consortium» elementa comprehendit: aequilibrium ac maturitatem ad veram interpersonalem et humanam vitam requisita; oblativum amorem, qui interpersonalem et heterosexualem amicitiae relationem gignit; mentis aequilibrium et responsabilitatis sensum; sufficientem ac continuam collaborationem in omnibus, quae matrimonialem et familiarem vitam conformant; physicam capacitatem ad prolis bonum integre promovendum etc.⁵⁷.

«Consortium» vere Romana vox est⁵⁸. Melius tamen «coniunctio» et adhuc melius «communio» hic sonarent, quin rationes ab aliquo auctore allatae convincant⁵⁹. Revera unica ratio historica in illis diversarum doctrinarum propensionum transactionibus et praeiudiciis invenitur.

«Ad bonum coniugum»

In primo loco citatur. Hoc, sine dubio, aliquam significationem habet. Constat tamen nullam matrimonii finium hierarchiam stabiliri. Clarum etiam est, tandem aliquando, omnia matrimonii elementa «ad

⁵⁵ PCICR, *Communicationes* 9 (1.977) 79.

⁵⁶ PCICR, *Communicationes* 10 (1.978) 125.

⁵⁷ G. Lesage, *The Consortium vitae coniugalís: nature and applications*, *Studia canonica* 6 (1.972). A. ARZA, *Nuevo concepto del Matrimonio*, Bilbao 1.975.

⁵⁸ DIG. XXIII, 2, 1.

⁵⁹ F.R. AZNAR, *El Nuevo Derecho Matrimonial*, Salamanca 1.985.

bonum coniugum» inservire et tendere, cum ipsi coniuges, quatenus coniuges, matrimonium constituent. Matrimonium ergo semetipsum et a seipso iustificatur. De immanenti et essentiali finalitate agitur. In hac autem finalitate ceteri fines coexistunt ac explicantur⁶⁰. Coniuges parentalibus muneribus uti tales perficiuntur; paternitas et maternitas tamen etiam extra matrimonium dari possunt. Dicere ergo «ad bonum coniugum» idem est ac dicere «ad bonum matrimonii», nam matrimonium est ipsa coniugum unio.

Personalisticus sensus «ad bonum coniugum» evidens est, et adeo evidens, ut Commissio contra aliquos adhuc in traditionali Naturalismo imbutos, expressionem iterum significavit: «ordinatio enim matrimonii ad bonum coniugum est revera elementum essenziale foederis matrimonialis, minime vero finis subiectivus nupturientis»⁶¹. «Ad bonum coniugum» essentialis et obiectiva matrimonii tendentia et intentio est. Haec naturalis ad propriam perfectionem matrimonii tendentia interpersonalis seu intersubiectiva est et proinde vere obiectiva, nam essentialis iuridica obiectivitas praecise in illa structurali iustitia intersubiectivitate consistit. In hac concreta obiectiva intersubiectivitate essentialis Ius inter et Moralem differentia stat. Iuridica relatio, utpote perfecte reciproca et intersubiectiva, obiectiva est, dum moralis relatio, etsi plures subiecti dentur, semper est subiec-

⁶⁰ L. VELA, *Sentido del matrimonio*, *Sal Terrae* 56 (1.968) 289-296; *Los niveles del matrimonio*, *Sal Terrae* 5-6 (1.970) 234-244; 418-431.

⁶¹ PCICR, *Communicationes* 15 (1.983) 219-222.

tiva et unilateralis, cum tantum uniuscuiusque rectam conscientiam cum norma respiciat⁶².

In hac descriptiva seu «in obliquo» matrimonii definitione bene essentialis heterosexualitas exprimitur. Matrimonium enim est viri et mulieris inter se totius vitae consortium. Eandem et unicam totalem vitam vir et mulier sortiuntur; virilitas et feminitas inter se unitae eandem usque ad mortem sortem sequuntur; viri autem et mulieris sexualitas primario personales structurae sunt⁶³, unde iam de iure in corpus amplius loqui non licet. Haec heterosexualitatis proclamatio magni momenti est his in temporibus, in quibus tanta falsa in hoc ordine de matrimonio dicuntur⁶⁴.

Ad lucem et sub luce «ad bonum coniugum optime intelligitur illa ultima Iuris Canonici finalitas, «animarum salus, quae in Ecclesia suprema semper lex esse debet⁶⁵.

«Quale inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum» (§ 2).

«Foedus» relinquitur et «contractus» introducit. Re bene intellecta, «contractus» plenum sensum conservat, eiusque introductio opportuna apparet, quia sic melius cum Iure Civili concordatur et Concilii intentio dialogum statuendi cum mundo etiam melius obtinetur.

«Baptizati» sunt «fideles», quia saltem «intentio

⁶² L. VELA, *El Derecho Natural en Giorgio Del Vecchio*, Madrid 1.965.

⁶³ A. WILLY ET C. JAMONT, *La sexualité*, 2t, Verviers (Belgique) 1.964.

⁶⁴ M. ZIMMERMAN, *Couple libre*, Strasburg 1.983.

⁶⁵ CIC, canon 1.752.

faciendi quod facit Ecclesia» omnino necessaria et essentialis est. Haec autem essentialis intentio ulla sine fide personali, interpersonalis potius, non explicatur⁶⁶. Sic iterum novi Codicis Personalismus refulget, quia, ut supra dixi, sacramenta sunt Christi et Ecclesiae actiones et signa quibus fides exprimitur ac evoluitur⁶⁷ et cum sanctissima eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur⁶⁸. Sub Personalismi luce, exigentiae et cautelae in baptismo adultorum et infantium optime explicantur⁶⁹ etiamque canones de cura pastoralis ad matrimonii celebrationem⁷⁰.

Can. 1057,1

Bene iam inter matrimonii fundamentales et introductorios canones collocatur, aliter ac in Codice 1.917. Inde nova consensus obiecti superflua apparet «et sufficit dicere obiectum consensus esse matrimonium»⁷¹. Sic altera canonis paragraphus peroptime dicit» consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et accipiunt ac constituendum matrimonium». Actu eminenter personali sese, ut personae, tradunt et accipiunt et sic totius vitae consortium efformant, cuius pars, et quidem essentialis, est ius ad actus «indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum». Coniuges sunt ergo simul subiecta et obiecta intersu-

⁶⁶ L. VELA, *El matrimonio como sacramento, Temas fundamentales en el nuevo Código*, Salamanca 1.984, 305-323.

⁶⁷ CIC, canon 840.

⁶⁸ CIC, canon 897.

⁶⁹ CIC, cc. 850-860.

⁷⁰ CIC, cc. 1.063-1.072.

⁷¹ OCICR, *Communicationes* 9 (1.977) 125.

biectiva consensus. Sic iuridica essentialis consensus structura apparet et intima legis cum Iure consonantia monstratur.

Can. 1061,1

Unicum tantum liceat indicare aspectum: matrimonium dicitur «ratum et consummatum, si coniuges inter se humano modo posuerunt coniugalem actum». Quid hoc significet optime iam ante Codicem clarus Navarrete pertractavit⁷².

Huius locutionis «modo humano» iter usque ad eius in Codice admissionem explicatum est. Pro aliquibus eius introductio superflua evadit, «quia nemo admittit haberi actum coniugalem quando non peractus est modo humano»⁷³. Aliis, forse in clara cum primis concordia, introductio est periculosa, quia tunc nullitatis causae «super ratum et non consummatum sine modo multiplicarentur»⁷⁴.

Commissio semper respondit talis locutionis suppressionem possibilem non esse quia «post profundum studium et amplam discussionem introductam a longe maiore parte Conferentiarum Episcoporum aliorumque organorum consultationis probata est, et videtur absolute necessaria ex ipsa natura matrimonii, quod postulat ut actus coniugales humano modo ponantur. Etiam si talis locutio supprimeretur semper subintellenda esset in canone»⁷⁵.

⁷² U. NAVARRETE, *De notione et effectibus consummationis matrimonii*, in *Periodica* 59 (1.970) 619-670.

⁷³ OCICR, *Communicationes* 9 (1.977) 129.

⁷⁴ *Ibidem*.

⁷⁵ ACTA COMMISSIONIS, *Relatio*, 1.981, *Communicationes* 15 (1.983) 247.

«Modo humano» idem est ac interpersonalis modo. Interpersonalis modus idem est ac intersubiectivus modus. Intersubiectivitas vero exigit ut uterque coniux sit et agat ut subiectum, numquam vero uti obiectum. Sexualitas specificè intersubiectiva est forma et pars coniugalis amoris, qui simul est interpersonalis, eroticus et sexualis⁷⁶.

Cum Personalismi praesentia hic omnino clara sit, a ceteris praescindam, quia legales sermones in hac re frequenter valde periculosi et supervacanei sunt. Coniuges quid sit humanus modus in matrimonii consummatione bene norunt, et mulieres praesertim quales sint «sexualis frigiditatis» praecipuae causae et qualis sit origo et ambitus «psychologicae impotentiae»⁷⁷.

Can. 1084

Optime hoc in campo clarus Navarrete laboravit et quidem ita, ut inter hodiernae de impotentia doctrinae praedecessores merito sit adnumerandus⁷⁸.

Nunc iam de sola impotentia coeundi agitur (§ 1). Ita canonica impotentiae notio a civili clare distinguitur et, ex alia parte, generandi impotentia et moralis impotentia ex hoc canone excluduntur⁷⁹. Duae longae

⁷⁶ L. VELA, *Persona y Amor*, Granada 1.977; *El Matrimonio «Communitas vitae et amoris»*, in *Estudios Eclesiásticos* 41 (1.976) 186-222; F. DUYCKAERTS, *La formación del vínculo sexual*, Madrid 1.966; R. GRIMM, *Amour et Sexualité*, Neuchâtel (Suisse) 1.962.

⁷⁷ A. PIETROPINTO et S. SIMENAUER, *Husbands and Wives*, New York, 1.983; *Beyond the male Myth*, New York, 1.978.

⁷⁸ U. NAVARRETE, *De muliere excisa*, in *Periodica* 64 (1.975) 335-361; *Structura iuridica matrimonii secundum Concilium Vaticanum II. Momentum iuridicum amoris coniugalis*, Roma 1.968, 26-30, nn. 16-19.

⁷⁹ OCICR, *Communicationes* 7 (1.971) 53.

in hac materia disputationes praecesserunt. Prima in Commissione diebus 16 ad 21 februarii anni 1.970⁸⁰. In primis quaerebatur «quaenam copula sit apta ad matrimonii consummationem? Post Constitutionis Sixti V «Cum frequenter» examen, ad traditionalem doctrinam vertitur, iuxta quam illa copula habebatur perfecta, quae sit satiativa libidinis, sine respectu ad naturam veri seminis⁸¹. Sic etiam personalistica Concilii Vaticani II doctrina sumitur⁸². Altera disputatio diebus 13 ad 18 maii anni 1.970 locum habuit. In ea cetera impotentiae elementa conciliantur (antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, absoluta sive reactiva...) et quaeritur «an impotentia iure naturae matrimonium dirimat?»⁸³. Canon optime affirmat «ex ipsa eius natura dirimit», nam «qui impotentes sunt ad actus per se aptos ad prolis generationem ipso iure naturae vetantur, quominus matrimonium contrahant»⁸⁴. Naturale ius adversus iuridicum positivum in Ecclesia retinetur, nam «si Ecclesia ex hoc canone ius naturae supprimeret, sine dubio dici posset quod Ecclesia quoque conformari intendit huic saeculo»⁸⁵. Sic illa tam intima inter impotentiam, consensum et consummationem Codicis 1.917 connexio superatur. «Tempus autem iam advenisse videtur, quo magis aspectus personalis matrimonii et necessariae consequentiae talis aspectus considerentur»⁸⁶. Hoc ergo in puncto alicuius auctoris

⁸⁰ OCICR, *Communicationes* 6 (1.974) 178-198.

⁸¹ *Ibidem*.

⁸² Const. *Gaudium et Spes*, 48, 1.

⁸³ PCICR, *Communicationes* 7 (1.975) 53-62.

⁸⁴ PCICR, *Communicationes* 7 (1.975) 53-62.

⁸⁵ *Ibidem*.

⁸⁶ OCICR, *Communicationes* 6 (.974) 182.

opinionem admittere non possumus, cum nullam in Ecclesiae doctrina mutationem inveniatur⁸⁷. E contra, magna mutatio datur. Sufficiat ad hoc monstrandum S.C. pro Doctrina Fidei Decretum diei 13 mensis maii anni 1.977 recordari⁸⁸.

§ 2 «nec stante dubio, nullum declarandum». Aliqua in canone novitas est, quae Personalismo favet, et quae nihil est nisi, in hoc casu, recta «favoris iuris» applicatio⁸⁹. Haec innovatio respectu Codicis 1.917 fit «ut consequatur uniformis iurisprudentia in hac materia»⁹⁰.

Maiores momenti est innovatio, quae in par. tertia invenitur: «Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, *firmiter praescripto can. 1.098*». Cur ita?, quia «sterilitas enim certo certius est qualitas, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum et ideo dolus de sterilitate nullum facit matrimonium»⁹¹.

Can. 1095

Canon omnino novus, cum quo matrimonialis consensus normativa aperitur. Nullum dubium est incapacitates, etsi adhuc de relativis disputetur⁹² argumentum stricte personalisticum esse. Incapacitatis

⁸⁷ F.R. AZNAR GIL, *El Nuevo Derecho Matrimonial Canónico*, Salamanca 1.985.

⁸⁸ AAS, 70 (1.978) 183-184.

⁸⁹ CIC, canon 1.060.

⁹⁰ PCICR, *Communicationes* 9 (1.977) 361.

⁹¹ PCICR, *Communicationes* 7 (1.975) 59.

⁹² V. GUITARTE IZQUIERDO, *Una contribución a la teoría de la capacidad psíquica en el negocio jurídico matrimonial a partir del can. 1.095*, in *Rev. Esp. de Der. Can.* 45 (1.988) 623-648.

conceptus ab impedimenti dirimentis conceptu prorsus distinguitur. Incapacitas enim ad coniuges uti subiecta ad consensum praestandum et eius essenziale obiectum agendum refertur, dum impedimentum formaliter sumptum est lex ecclesiastica, quae subiectivam coniugum capacitatem non attingit, sed e contra supponit. Iuridicum sanationis in radice institutum rem bene explicat⁹³. Hac de causa miramur de iis, quae clarus auctor dicit⁹⁴.

«Sunt incapaces matrimonii contrahendi: 3, qui ob causas naturae psychicae obligationes matrimonii essentielles assumere non valet».

Quoad expressiones, neque illa prima «ob anormaliam psycho-sexualem»⁹⁵ neque hodierna «ob causas naturae psychicae» mihi placent⁹⁶. Magnum canonicae scientiae progressum haec clara cum aliis positivis scientiis collaboratio supponit, sed concretam qualificationem scientificam adhibere ad Codicis munus non pertinet. Dum de certis et gravibus incapacitatibus agatur, non est cur in Codice expresse nominentur, nam aliae et quidem maioris ponderis incapacitates dari possunt et revera dantur, quin proprie sint psychici characteris. Hoc modo illa scientificorum tendentia vitatur, omnia, anthropologia philosophica neglecta, sub uno tantum titulo considerandi. Saepe positivarum scientiarum cultoribus idem accidit, ac

⁹³ CIC, cc. 1.161-1.165.

⁹⁴ P.A. BONNET, *L'incapacità relativa agli oneri matrimoniali (can. 1.095,3) (con particolare riferimento alla giurisprudenza rotale c. Pinto)*, in *Studi giuridici* 15 (1.988) 40-41.

⁹⁵ PCICR, *Communicationes* 9 (1.977) 320-321.

⁹⁶ L. VELA, *Incapacidad psicológica para el matrimonio. Curso de Derecho Matrimonial y Procesal para profesionales del foro*, Salamanca 1.982, 125-139.

Freud de «libidine» agenti. Hoc in canone de coniugum naturali incapacitate agitur; si aliqua incapacitas non expresse memoretur, incapacitas manet et matrimonium ob consensus defectum est invalidum. Legis positivae enuntiationes Ius Naturale coarctare non possunt. Omnes, ex quacumque causa, graviter incapaces matrimonii essentielles et integrales obligationes adimplendi vel relationes interpersonales statuendi, hoc in canone comprehenduntur. Iurisprudencia hoc in sensu abundat. Omnes qui «ius nubendi» exercere non valent, personalitatis anomalia laborant. Nunc autem profundiores personalitatis anomaliae quodammodo solam naturam psychicam superant⁹⁷.

Omnia et singula consensus elementa considerantur; hac de causa et matrimonium in fieri et aliquo modo matrimonium in facto esse comprehenduntur, cum clarum sit neminem sese obligare posse ad ea quae adimplere non potest. Ipsa «communitas vitae coniugalís» interpersonales relationes implicat, quarum incapacitas ipsum consensum, qui sine essentiali obiecto nec dari nec concipi potest, impedit.

Can. 1097

Vere profunda de hoc canone studia facta sunt⁹⁸. Nobis hic sufficit personalisticum momentum extollere. Quidquid sit de diversis theoriis tandem aliquando personae qualitates magnum momentum habent, et

⁹⁷ PH. LERCH, *La estructura de la personalidad*, Barcelona 1.963; K. JASPERS, *Allgemeine Psychopathologie*, Heidelberg, 1.942.

⁹⁸ A. MOSTAZA RODRIGUEZ, *El error sobre la persona y sobre sus cualidades en el can. 1.097 del nuevo Código*, in *Estudios Canónicos*, Salamanca 1.988, 307-330.

«alius» personae conceptus longe dives et fecundus, multo magis ethico-iuridicus sumitur. Hoc est praecipuum. Iuris non solum persona ontologica et eius physica, ut ita dicam, identificatio interest, sed etiam religiosa, moralis, ethico-iuridica personalitas. Iuris non tantum personae obiectiva identificatio interest, sed subiectiva. Tandem aliquando iuridica relatio tantum obiectiva est in quantum intersubiectiva. Canon (§ 2) bene dicit «intendatur». Hoc in sensu mihi sententia c. Canals diei 21 aprilis anni 1.970⁹⁹ et c. Riera diei 20 martii anni 1.972¹⁰⁰ placent.

Can. 1098

Non sine magna doctrinali disputatione hic canon in re matrimoniali introductus est¹⁰¹. Absque dubio aliqua positivae normae generalis exceptio est¹⁰². Huius canonis introductio «intuitu personae» fit. Libertas coniugis dolo decepti protegitur. Personalismus ergo refulget. Matrimonialis relatio graviter perturbari potest propter errorem dolose causatum «circa alterius qualitatem». Certum est qualitates non modo obiective sed etiam subiective, in concreta relatione ad subiectum deceptum, ponderandas esse. Patet non de matrimonii essentialibus qualitibus

⁹⁹ SRR, 62, 371-372.

¹⁰⁰ *Colectanea de jurisprudencia canónica* 1, Salamanca 1.974, 11-31; M. LÓPEX ALARCÓN, *El error «qualitatis personae» en el consentimiento matrimonial según el nuevo Código de Derecho Canónico*, Murcia 1.983.

¹⁰¹ A. MOSTAZA RODRIGUEZ, *El error doloso como causa de nulidad del matrimonio canónico*, *El consentimiento matrimonial hoy*, Salamanca 1.976, 119-122.

¹⁰² CIC, can. 125,2.

agi, sed de iis quae «suapte natura consortium vitae coniugalīs graviter perturbare possunt». Patet etiam de qualitatibus «sub conditione» requisitis, nam haec figura est iuridice diversa¹⁰³. Clarum est hoc in canone dolum seu actionem dolosam damnari. Hoc Personalismum sapit. Novus Codex hodierna erga personam sensibilitate est imbutus. Personalis libertas protegitur et illegale facinus contra libertatem damnatur.

Aliqua consecraria

Non agitur hic de conclusionibus logice a principiis deductis. Iuridicus Positivismus bene scit deductivam logicam, cum de universalibus principiis ad vitam hominis concretam transitus fit, deficere. Illa autem principia in Personalismo abstracta non sunt, sed universalia-concreta, utpote in persona humana, «universali concreto» radicata. Alia ex parte, cum Personalismus rigido Positivismo seu Legalismo merito abhorreat, concretis situationibus «Probabilismus iuridico-moralis» applicat et prae oculis habet aequitatis canonicae et salutis animarum principium. Hac de causa et quin eorum doctrinam plane evolvamus, haec inter alia consecraria offerimus:

1) Matrimonium, ut omnis existentialis et creata realitas, destrui intrinsece potest. Natura sua, si elementa constitutiva essentialia manent et recte evolvuntur, perpetuum est. Corruptionis radicalis possibilitas, etsi quidem rara, datur. Si haec possibilitas, cogita exempli gratia de heterosexualitatis perditione,

¹⁰³ CIC, can. 1.102; U. NAVARRETE, *Schema iuris recogniti «de matrimonio»*. *Textus et observationes*, in *Periodica* 63 (1.974) 638-639.

concretum e medio discedit¹⁰⁴. Mutata substantialiter natura, matrimonium evanescit. Evanescit, non solvitur, et nulla auctoritas creata, si de rato et quatenus rato consummato agitur, solvere potest¹⁰⁵. Non ergo his in casibus de indissolubilate agitur. Matrimonium, si verum est et dum sit, est intrinsece et extrinsece indissolubile¹⁰⁶. Principium semper serio retinetur. Sed cum indissolubilitas constitutivum essenziale matrimonii elementum non sit, sed mera essentialis proprietas et quidem iuridica, corrupta natura, manere non potest. Nulla enim qualitas, etsi essentialis, essentiam retinere potest, cum essentiam non constituat. Ad nihil in casu canonis 1.141 principium inservit, cum non de dissolutione agatur, et cum nulla creata potestas contra rerum naturam agere valeat. Quinimo neque ipsa mors neque auctoritas, proprie loquendo, matrimonium solvit.

In morte physica coniux vivus propriam eius humanam naturam matrimonialiter evolvere iam amplius non potest¹⁰⁷. Eamdem omnino rationem Orientales Ecclesiae adhibent, cum de adulterio, de civili morte, de religiosa morte etc. loquuntur¹⁰⁸. Etiam Orientales Ecclesiae indissolubilitatis principium tenent, et tamen inter theoriam et praxim in eorum disciplina contradictio non datur. Memorari liceat quae in Conc. Vaticano II Cardinalis Leger dixit et disputationem inter Zoghbi et Journet habitam.

¹⁰⁴ L. VELA, *Matrimonio y divorcio, Razón y Fe* 71 (1.971) 172-196.

¹⁰⁵ ICI, can. 1.141.

¹⁰⁶ ICI, can. 1.056.

¹⁰⁷ BERNÁZDEZ CANTÓN, *El divorcio en el Concilio Vaticano II*, Madrid 1978.

¹⁰⁸ C. PUJOL, *El divorcio en las Iglesias Ortodoxas Orientales*, Madrid 1.978.

Quidquid sit de illa disputatione factum evidens contra Cardinalem Journet erat: per plura saecula (Zoghbi de decem saeculis locutus est) unionis cum Roma, orientalis traditio numquam damnata est, et ne quidem, ut scimus, in Concilio Tridentino.

Magni momenti sunt ea, quae, ad casum, Prof. García y García in Conciliis Provincialibus invenit ac refert¹⁰⁹. Magni etiam momenti ea, quae clarissimus Miguelez (et ipsum Gasparri citat) dicit in casu amenitiae totalis et perpetuae post legitimum matrimonialem consensum emissum, cum tamen consensus unica efficiens vinculi causa evadat¹¹⁰. Ipse Miguelez, contra Bertrams, in casu impotentiae absolutae et perpetuae consensui naturaliter sufficienti supervenienti sanationem in radice non admittit¹¹¹. Cur, si consensus sufficiens perseverat? Corruptum estne essentialiter matrimonium? Haec sufficiant.

2) In sacramentorum personalistica conceptione, ut vere can. 1.055,2 servetur, ad minimum, illa intentio-fides «faciendi quod facit Ecclesia» iam in consensu dari debet; sine hac minima fide aliquam sacramentalitatem sustinere verae theologiae adversatur. Consensus ergo ipse quodammodo sacramentalis esse debet. Personalismus omnino impedit, quominus elementa mere obiectiva sine subiectivis (intersubiectivis) ut iuridica considerentur. Est quid contradictorium¹¹².

¹⁰⁹ A. GARCÍA Y GARCÍA, *Historia del Derecho Canónico*, 1, Salamanca 1.967, 248 s.

¹¹⁰ L. MIGUÉLEZ, *Comentarios al Código de Derecho Canónico*, 2, Madrid 1.963, 730-1.

¹¹¹ *Ibidem*.

¹¹² L. VELA, *Hacia una nueva concepción teológico-jurídica de la institución matrimonial*, in *Studium Legionense* 16 (1.975) 161-189.

3) In omnibus suppositis in quibus coniuges capaces quidem et «bonae fidei», sine ulla culpa ac dolo neque ullam formam canonicam neque alicuius noti et ab ipsis acceptati impedimenti Iuris Ecclesiastici dispensationem nec petere nec prinde obtinere possint, eorum matrimonium Iure Naturali validum est. Nullum ius positivum his in adiunctis Ius Naturale annullare potest. Nulla mere positiva lex his in adiunctis tam gravissimi incommodi obligare potest et iura hominis et fidelis fundamentalia laedere. Tale matrimonium inter baptizatos sacramentum est et tam essentialiter matrimonium, quam illud omnibus iuris positivi requisitis ornatum¹¹³.

Ope ergo Personalismi Iuris Humanitas et verus christianus Humanismus refulget.

LUIS VELA, S.J.

¹¹³ L. VELA, *El matrimonio como sacramento*, *Temas fundamentales en el nuevo Código*, Salamanca 1.984, 305-323.